

III.
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 13.

Oratio Politica.

Elysium-Meum.-Die Veneris 10. Mart. 1809. (Neov. 24. Feb. 1809)

S e n t e n t i a.

Omnium rerum, ex quibus aliquid exquiritur, nihil est melius agricultura, nihil dulcius, nihil homine liberò dignius.

Cicero.

His verbis usus olim Romanæ Eloquentiæ princeps, ad filium agriculturæ necessitatem utilitatemque docendum; Tullius, qui in urbe orbis principe eximia dignitate præfulsit; cui vix dignitas hodierni apud nos principis comparari potest! — Agricultura primorum hominum occupatio fuit; primorum, simplicitate sua, morum probitate, animi bonitate, atque sentiendi sublimitate tantopere venerabilium Patriarcharum, qui ex auctoris naturæ orasulo in sudore vultus pane vescebantur suo — Aegyptii, Romani, Græci agriculturæ litaverunt, & hodie dum Imperatoria Sinarum Majestas aliquot sulcos quot annis vomere perficit, ad necessarium & utilem subditis suis laborem hunc sanctiorem reddendum.

Verum res animadversione digna: Excelsum Reipublicæ, orbis virum, eloquentiæ principem, Consulem Romanum filio suo,

agriculturam præprimis commendare; & ut, quæso, sonat isthæc commendatio! Cicero nihil libero homine dignius agricultura pronunciat. Conferantur hæc verba cum illo vitæ genere, cui hodierna ætate Cultura ruris incumbit, & *quantum nam distat ab illo!*

Non est nobis de præsentis animus necessitati, utilitatique, minus vero tributæ quavis ætate æstimationi, Cultuque rei agrariæ persequendæ immorari, neminem profecto latet, omnia, quibus vescimur, & vestimur, aut tegimur, ex communi matre terra provenire, in summa: quidquid oculis, manibusque palpamus, fontem habet terra. Hæc bona mater terra nobis largitur, at vicissim & dona, munera, opesque a nobis quæri vult; munificentiam suam excoli, nostrique conservationem labore & industria procurari.

Inter omnes culturæ & inculturæ terræ regiones nobis notas, Anglia intuitu agræ Culturæ prima & cultissima patria est. Quævis alia Oeconomica Instituta imbellia solummodo exempla sunt Britannicæ œconomix. Quæ Hofwylæ Helvetiæ visitur, manca solummodo imago Norfolkiæ. Neque in Germania & aliis regnis ad eum perfectionis gradum ob diversa adjuncta provehi valent. Age, certissima juxta & utillissima argumenta ex rationibus quæ cuivis illucent, explicemus.

Terra largitur producta — plura, jam pauciora — prout melius, aut pejus coluntur; hæc producta solertia & industria augeri possunt; desidia contra, & inertia minui debilitarique. —

Dantur producta omni solum sæculo provenientia; alia quovis 75 anno solum gignuntur; sunt alia, quæ quinto supra vigesimum annum nascuntur, ut lignum pro ædificiis, scriuariæ & fabricæ servien, focale & fornaci aptum; sunt alia producta, quæ quovis anno renovantur, ut fruges, alia quotannis bis terque crescent, usui applicari possunt, exemplo sit gramen in pratis, alia quotidie renascuntur, ut lac, butyrum, ova &c.

Qui igitur Oeconomi hæc producta multiplicant, aut frequentiora feracioraque reddere queunt, plus minus scopum emolumentumque laboris, impensæque assequuntur suæ! verum est quidem: lignum pro ædificando intra sæculum solum producibile est, ast si sollicite seminetur, & ad œconomicas rationes seminata exigatur, tum intra 70 annos eadem firmitate progignitur, quam si persæculum naturæ soli, absque cultura relinquatur. Eadem ratione triticum simpliciter solum vice intra annum producitur, at si fimitio & subaratio terræ in subsidium veniat, tum fruges largius producentur.

In Germania maltrum sementis plurimum 8—10 maltra largitur, contra in Anglia 24—30 fundit. Pratum, quod non rigatur, bis solummodo scænum præbet, contra aquis irrigatum, & cultivatum quater tantum suppeditat.

Expendatur jam quæso, quam notabile isthuc utilitatis discrimen sit! —

Eo igitur præmisso: pasouum, lac, butyrum, cva quotidie renovari, & consumi, consequitur, ea tercenties sexagesies quinquies produci, totidemque vicibus consumi, & pluries quam fruges; octodecim centies celerius quam caro bubula, quæ ex bove trienni desumitur, quatermillies quadringenties celerius ex bove duodenne, & millies citius, quam ligna focalia; vigesies septem millies, aut triginta sex millies expeditius ligno ædificiis apto, quod 100 annos ad incrementum requirit.

In hac Calculatione, quamquam magna reductio facienda ex eo, quod gramen in hyeme non renovetur; perspicitur nihilominus, quantum emolumentum productorum acceleratio, & crebrior eorum renovatio præbeat.

Ad hoc argumentum sæpe recursuri, demonstraturique sumus: Oeconomiam Anglicanam Norfolkæ eo princeps consilium, conatumque dirigere, ut producta multiplicentur crebrius renoventur, atque feraciora reddantur.

Interea quædam nova ex Ephemeridibus desumta perouremus, & quidem: Aravia Helvetorum de 4. Febr. quod ad Oeconomiam ruralem relationem habet, legitur: videlicet: Decreto de 30. Jan. a Senatu minore sancitum, & definitum est: a quolibet matrimonio ineunte senas arbores fructiferas serendas, occasione natalitatis prolis binas; hujus Decreti executio Magistratibus incumbit.

In publicis nunciis legitur: Londino, quæ de dato 8. Januarii per Sveciam primum, tum de 2. Febr. per Galliam emanarunt.

Primi ordinis referunt: Anglicanum regimen legatum in Abyssiniam expeditisse, aut expediendi consilium habere. D. Salte, qui Illustrẽ Valentia in sua itineratione comitabatur, huic expeditioni destinatur; ad nexu commercales cum hoc Africano regno ineundos; munera pretiosissima pro hoc impẽrante præparantur.

Adparatus sunt Expeditionis ad Insulam Barbados; non obstante Interdicto Americano Insula Martinica victualibus & comẽntu abunde provisa est.

Postremis mensibus 522 domus mercatorie bonis lapsæ sunt in Angliæ.

Nunc æ veto Londino per Galliam litteræ de 2. Febr. sic socant:

Die 19. Jan. Conventus Ordinum primam Sessionem celebravit. Commissarii regis eam solenniter auspiciati.

Ante aliquot dies Plymuthum adpulit Gallica Parlamentaris navis, quæ nupero Veneris Chariburgo vela dabat; continebat duos publicos Cursores; qui hesterno ad Conclave D. Canning litteras attulerunt, quibus perhibente Diario Sun dicto, pacis propositiones ex parte Gallia continebantur.

Vigore adparatum, qui in portu Vlisingsensi animadvertentur, 4 lineales navis Gades destinatæ, jussu acceperunt, littoribus immorandi.

Nuncii ex S. Thoma perhibent: a Conventu Americano decretum esse, die 29. Dec. duabus legibus: quibus omne commercium cum Gallia & Anglia interdicitur. Interdictum navium vigore earum abrogatum fertur.

Ex aliquot diebus rumor percrebuit de seriis turbis, quæ in Svecia eruptisse dicuntur. (Per Daniam quoque id genus rumorum percrebuit; nuncii Helsingora de 5. Febr. porro memorant: regem Svecorum in Scania morari, quod Russi Holmiam ingressi fuerint, postrema relatio de integro ratione destituitur.)

Hesterno Conventu Curia superioris Ill. Grosvenor annunciabat: se proximo Martis propositionem facturum, ad Deputationem constituendam statum regni persvestigandi gratia; Ill. Auckland indicabat: Ill. Grenville futuro primum Lunæ ad octo quæstionem intuitu revocationis vulgo notæ Secreti Conclavis ordinationis, moturum.

Ill. Buckinghamshire ad diem Veneris quæstionem in argumento negotiorum Portugalliaæ prænuñciavit. Lord Erskine petiit exactum Indicem numerum legionum in expeditione Hispanica adhibitarum, tempore egressus ex regno, & reditus. Dux Nordfolkiæ quæsit: quando Tractatus cum Hispania initus Curiaæ substernendus sit, sibi que facultatem: occasione quæstionis ab Ill. Grosvenor indicatæ pertractationis plura super hoc argumento disserendi reservavit; — in Curia inferiore heri opera impendebatur audiendis testibus intuitu accusationis adversus Ducem Eborac-

censem ceu supremum Præfectum copiarum terrestrium excitatæ; in argumento illegalis ut prætenditur, susceptæ militaris promotionis agente certæ a Juramento adstrictis 200 libris Sterl corruptæ Dominæ Clarke. Antequam testium fassiones exciperentur, D. Wardle, qui partes accusatoris sustinebat; sic orsus: „Credo ad præsens nec unum verum locutum me, quod in suspicionem adducere me posset, quasi studio partium, aut hostili animo adversus Supr. Copiarum Præfectum ferrer. Mea agendi ratio in his adjunctis plena est Candoris & simplicitatis, ante & prævie plenum exactumque Indicem, qui coram Jure comparandum habent in Conclave Judicii exhibui; tum actionem intentam pro animi honestate mei propugnaturus sum; quam suscitandi Jus, obligationemque meam esse existimavi. Equidem citra dubium ceu membrum Parlamenti Jus habeo Supremum Copiarum Præfectum accusandi; verum spero, durantibus hujusce argumenti tractationibus, moralem Characterem meum nequam læsum iri. Multa de libertate preli, de Jacobinismo, de Conjuratone adversus domum Brunsvicensem dicta sunt. Interim nihil eorum dixi, quæ cum libertate preli quodam nexu cohærent; nemo abominatur magis, me, Jacobinismum, nisi sub ejus nomine hostis corruptionis inter nobiles, æque ac ignobiles intelligatur; quod Domum Brunsvicensem attinet: publice me accusari petii, si tamen cujusdam conjurationis in eam reus videor. Non me latent diffi-

cultates, in quas incidam, cum calleam: multa Curiā hujus membra Supremo Copiarum Præfecto potius, quam simplici membro Parlamentari adhæsuros (communis vox: Ordini!) nihilominus spero: neminem eorum, a rationibus justæ impartialitatis recessurum." Futuro Veneris testium exâmen instituendum perhibetur.

Neapoli die 1. Febr. Die 29. Jan. Cæs. Russicus extra ordinem, & plena rerum gerend. potestate instructus legatus D. a Bibikoff suis Maj. Regi & reginæ occasione solennis accessus primum præsentatus est. Rex illa occasione Rus. Cæs. Ordinis S. Andreae in pectore gestavit Insignia. Eodem die Princeps quoque Hasso Darmstad. Suas Maj. primum adivit.

P r o b l e m a.

Cur tam promiscuæ in orbe salutationes.

Salutatio Germani: „Ut valet D. V. ? Batavi:” Ut vehitur D. V. ? Angli: quid facit D. V. facere ? Hispani: „Quomodo stat? Galli:” quomodo se portat? In Sinis more recepta salutatio est, Jassan! an orysam vestram edistis? In Aegypto: Ut sudavit D. T. ? quod sicca cutis certus index lethalis febris habeatur; — Verum in Bohemia prudentissima salutatio est: Ut se habet D. V. ? in hac quæstione & physica & moralia adjuncta continentur.